



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

Affectiones.

- Pf.* 76. 14. **Q**uis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu
15. es Deus, qui facis mirabilia?
138. 7. Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua
fugiam?
ibid. v. 8. Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descen-
dero in infernum ades.

4. De sanctitate Dei.

- 1. Reg.* 2. 2. **N**on est sanctus ut est Dominus.
Levit. 11. Sancti eritis: quoniam ego sanctus sum.
45. Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis
Matt. 5. perfectus est.
48. Justus Dominus in omnibus viis suis: &
Pf. 144. sanctus in omnibus operibus suis.
17. Sanctum & terribile nomen ejus.
110. 9. Deus qui glorificatur in concilio sanctorum.
88. 8. Gustate & videre, quoniam suavis est Do-
33. 9. minus.

Affectiones.

- Pf.* 5. 5. **N**on Deus volens iniquitatem tu es.
ibid. v. 6. Neque habitabit juxta te malignus, ne-
que permanebunt iniusti ante oculos tuos.
ibid. v. 7. Odisti omnes qui operantur iniquitatem:
perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Exercitiū

II.

CAPUT XXXIII.

*Quomodo mens in Deum per consi-
derationem creaturarum sit
elevanda.*

*Philo.
Iud. lib. de
vita con-
templ.*

Veteres authores qui de vita sanctorum Pa-
trum nostrorum in Eremo scripsere, divi-

NAM

nam Philosophiam ipsam appellant : quia res humanas non considerabant ut humanas, neque solum corporeis illis oculis intuebantur, sed inde occasionem arripiebant elevandi se in Deum, nunc potentiam ipsius admirando, nunc infinitam ipsius sapientiam recognoscendo, nunc ipsum de maxima ejus liberalitate benedicendo, nunc gratias agendo de bonitate, nunc sumendo occasionem seipsum excitandi ad exercitium virtutum ipsumque perdiscendi, uno verbo, cunctas res visibiles attrahendo ad sensum spirituales.

Postquam igitur Fratres nostri in habitu actiones suas bene peragendi coram Deo; cum certis devotis mentis suae subinde exercitiis elevationibus, proVectiores aliquantò fuerint, huic exercitio assuescere satagent, atque omnia in desiderio, quo ardent placendi Deo, eiq; perfectè se uniendi, nutrimentum convertere edilcent.

Illud erat exercitium magni Anachoretæ S. Antonii in deserto. Hunc enim cum aliquando interrogasset Philosophorum nonnemo, qui ad ipsum inviserat: Quomodo tempus suum posset absq; librorum lectione transigere? respondit ille, hoc in deserto esse sibi librum multò majorem amplioremque illis omnibus, quibus Bibliothecæ instruuntur, scil. universum mundum compositum ex tot foliis, quot sunt creaturæ, atq; in illo se ubi voluerit, legere mirabilia Dei, eaq; majori cum voluptate contemplari, quàm curiosa præbere Philosophia possit.

Ea etiam fuit praxis Prophetæ Regii: Domine, ait, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra?

Z 3

Quo-

D. Greg.
Naz. orat.
s. sub inia?

In quo
consistat
hoc exer-
citiu.

Histor.
Triparto
lib. 2.

v. 4.

Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quae tu fundasti.

Atque alibi inspecto naturæ egregio ordine sumit occasionem hanc ad Deum vibrandi admirationem: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine? Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tuâ.*

Hujus generis exercitium tribus illis pueris Israëlitis usitatum erat, adeoque familiariter illi assueverant, ut etiam in medio fornacis ardentis, in quam conjecti fuerant, Deum in suis creaturis benedicere non intermiserint, singulas speciatim nominando; illic enim composuere peregregium Canticum illud, cujus initium est: *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

Vide corinthi caput 43. Ecclesiasticus.

Pluribus in locis nos monet Scriptura ex rebus quibusvis occasionem sumere corda nostra elevandi ad caelum, quia hoc medium est animum habendi Deo semper unitum. *Vide arcum & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo.*

Exempla.

Seraphicus Pater S. Franciscus huic exercitio adeo assueverat, ut Deum in omnibus omnino rebus admiraretur: Creaturas enim omnes Fratrum ac Sororum nomine compellendo, eo quod omnes habeamus eundem Deum pro Patre, illas ad laudandum Creatorem suum invitabat. Quadam die (inter alia) juxta fenestram cellulae suae cantillantem audiebat cicadam, cumque interius ad benedicendum Deum animalculi hujus voce fuisset per-

S. Bonav. in vita c. 8.

permotus, illam admirabili simplicitate ac spiritus fervore ad se vocabat: Cicada miraculosè obediens in manum ipsius advolabat. Tum ipse ei ait: Canta, soror cicada, & benedic Creatorem tuum; mox illa cantillare cœpit, neque verò destitit, donec servus Dei ei veniam faceret redeundi ad priorem locum suum, ubi octo diebus consequenter absque interruptione cantillavit. Illis exactis sanctus Pater convocatis Fratribus ait: nunquid existimarent opportunum, ut sorori cicadæ venia fieret recedendi, postquam ipsos ad laudandum Deum continuis octo diebus tam bene excitasset? Aliâ vice idem sanctus iter faciens per loca palustria Venetiarum magnam invenit multitudinem avicularum in sylvula juxta viam cantillantium. Socio igitur suo ait: Ecce Fratres nostri alites, qui laudant Creatorem suum: illum igitur cum ipsis quoque collaudemus, horas nostras in eorum societate recitando. Verùm eùm ob nimium avium garrum se mutuo ipsi, sanctus videlicet ac socius, intelligere non possent, aviculis ait: desinite cantate fratres mei alites, quoad nos officium nostrum atque horarum pensum absolverimus. Dictum, factum, voci nimirum sancti obediens cantillare desierunt, donec preces ipsi suas absolvisset.

Aliquot ante mortem suam annis mirabile composuit ac recitavit canticum, ex quo sequentia extraximus.

Inter opuscula S. Francisci

Lauderis, Domine, ob omnes creaturas tuas ac specialiter ob honorabilem Fratrem nostrum Solem, qui facit diem, & nos claritate suâ illuminat:

360 DE ELEVATIONE AD DEUM

minat : pulcher est, & magno-illustris splendore, ac nobis egregiè repræsentat Fulgorem Majestatis tuæ.

Lauderis, Domine, pro sorore nostra Luna & stellis, quas adeò claras ac pulchras fecisti.

Lauderis, Domine, pro Fratre vento, pro aëre tam sereno quàm nubilo, proque omnibus tempestatibus, quarum beneficio omnibus creaturis tuis alimenta subministras.

Lauderis, Domine, pro sorore aqua, quæ vitæ nostræ tam utilis est.

Lauderis, Domine, pro fratre igne, qui noctem nobis illuminat. & pulcherrimus ac jucundissimus est.

Lauderis, Domine, pro matre nostra terra, quæ nos portat ac nutrit, atque ex sinu suo diversos fructus, flores ac herbas differentes producit.

Lauderis, Domine, pro sorore nostra Morte, quam nullus viventium evadere potest. Maledicti, qui moriuntur in peccato mortali. Benedicti qui in hora mortis integrè conformes extiterint tuæ sanctissimæ voluntati.

Huic argumento diutius ac fusiùs insistere non dubitamus, quia observationes nostræ totidem erunt sanctæ praxes; ex quibus Fratres nostri eximias instructiones ac methodum ex omnibus quæ oculis suis hauserint, proficendi elicere poterunt. Quocirca hic apponemus id quod communiter enarratur de quibusdam Prælati ad Concilium Constantiense proficiscentibus, qui in via invenerunt opilionem quàm amarissimè in aspectu turpis bufonis coram se reptantis plorantem. Prælatorum

rum

rum unus consistens juvenem interrogabat, cur ploraret? cui adolescens singultiendo ait: Eheu! considero quantam mihi præstiterit gratiam Deus, me faciendo hominem, non verò huic infami animali similem. Ac nihilo tamen minus eum ego toties offendi, id quod hæc misera bestia nunquam fecit. Prælati hujus opilionis conceptu vehementer commotus, meliori quo potuit modo ipsum est consolatus, atque ubi socios, qui ipsum præceserant, attigisset, illis quid vidisset atque audisset enarravit, adjiciens: Ecce quomodo simplices atque idiotæ rapiunt cælum; & nos cum omnibus scientiis nostris descendimus in infernum.

R. P. Ludovicus Granatensis in prima introductionis suæ ad Symbolum fidei parte peregrinè de hac eximia tractavit Philosophia, quam vehementer optamus à Fratribus nostris Provectoribus volvi ac revolvi, ut Deum in omnibus creaturis suis adorare illic discant.

Pro earum instructione animarum, quæ desiderio ampliore perfectionis ardent, recenset id quod oculis ipsè suis hauserat in ædibus cujusdam Nobilis. Huic erat vertagus seu canis venaticus ad eum Hero suo affectus, ut ab eo divelli non posset. Quod si violenter à loco, ubi Herus erat, excluderetur, obnitebatur ac resistebat quantum poterat, atque interim, dum foris remanere cogeretur, ululatu suo satis contestabatur molestiam, quam ei inferebat ista separatio. Quodam die, inter alios, adultæ æstate Herum suum rus proficiscentem ille pro suo solemniter sequebatur, atque ex cursu totus an-

Z s helus

10110

helus linguam præ siti expromebat : verùm cum pedissequorum nonnemo illum vi abduxisset ad proximum viæ fontem, ut biberet, canis vix linguam aquæ intingebat, quin confestim oculos ad Herum dirigeret, utrum adhuc in conspectu esset, moxque ubi è conspectu abierat, festinantissimè eum consecratus est, neque ullatenus, ut ulterius biberet, detineri potuit. ex quo magnus hic Religiosus ac verus spiritualis vitæ Pater hanc elicit considerationem : Si hoc animal tantoperè diligebat Herum suum ob frustillum panis, quem ei quotidie porrigebat ; quanto ampliùs diligere homo deberet Deum, à quo singulis momentis tot tantasque percipit gratias ac beneficia ? Et si bestia ratione destituta tantoperè in deliciis habet præsentiam heri sui ; quomodo homines, ac præcipuè Religiosi, non deberent ampliùs contendere, ut semper in Dei sui præsentia agerent ? Ac deniq ; si bestia illa inter bibendum intanto Solis æstu, cor, oculos & affectum semper habebat in herum suum tantoperè defixum, ut plus de illo quàm potu cogitaret, nunquid & nos corda nostra & affectus in Deum semper habere deberemus defixos ?

Hæc exēpla sunt, quæ nos docere possunt, qua ratione fructum ferre queamus ex omnibus illis, quæ videmus, omniaque, quæ in hoc mundo inferiore sunt, in sensum spiritualem atque interiorem convertere.

Praxis istius exercitii in ipso Salvatore nostro.

REi hujus instructionem per seipsum nobis dedit Salvator ac Dominus noster Christus

stus Jesus. Etenim quid nobis innuunt omnes illæ parabolæ Evangelicæ prorsus admirandæ, nisi quod ipse cunctas res creatas in sensum spiritualem attrahebat? Videtis, inquit, quo ardore homines inquirant thesauros: veri thesauri, quos inquirere vos debetis, in cælo sunt. Videtis in horto vestro arborem infructuosam, ipsamque succidi jubetis, ut in ignem mittatur: ita & vos, nisi dignos æternæ vitæ fructus protuleritis, a terra viventium resecandi, atque in flammam inextinguibiles mittendi estis. Videtis palmitem à vite præcisum non esse aptum, nisi ut in ignem mittatur, ita anima à Deo suo divulsa non est amplius idonea nisi ut in igne infernali ardeat.

Videtis, qua ratione vitem suam amputet, ac superflua resecet agricola, ut fructum plus afferat: ita & vos circumcidere vos debetis, ac superflua cogitationum, actionum atque affectuum resecare, ut fructum omnis generis virtutum proferatis abundantiorum.

Videtis, qua diligentia & amore opilio ovem suam errabundam inquirat: multò ampliori curâ ac sollicitudine Deus animam à via salutis aberrantem revocare, atque ad gregem electorum suorum reducere satagit. Videtis, quantum opere filium suum diligit pater, ut etiam post plures helluationum ac perditæ vitæ annos ipsum ambabus ulnis excipiat, atque instructo splendidiore convivio lætitiæ ex reditu ipsius conceptæ specimina edat. Pater vester cælestis omninò amore ardentiori prosequitur peccatores ex toto corde suo ad pœnitentiam se convertentes. Videtis, quantum opere suum te-

neatur

neatur amare creditorem, qui ab ipso majorem recepit debiti remissionem. Ita vos eo debetis amplius amare Deum, quo plura peccata remisit. Demum quis vobis sancta perlegerit Evangelia, ipsa scaterere adverteret excellentissimis documentis ex rebus sensibilibus deductis: Ubi videlicet divinus Magister & Salvator noster Jesus Christus considerationes spirituales circa ea omnia, quæ sub sensus cadunt, efformat. Id quod faciebat non solum, ut nos ad divinam hanc Philosophiam, quasi manducaret; sed & ipse pro seipso per scientiam acquisitam hoc exercitio utebatur, etsi modo infinitè eminentiore ac divino. Quadam enim die Apostolis ipsum urgentibus ut manducaret, eo quod jam altæ in meridiem processissent horæ, atque ipse ex itinere multum fatigatus esset, ille respondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.*

Joan. 4. 32.

Methodus utendi hoc exercitio.

EX iis, quæ diximus hactenus, facile est unâ ex parte intelligere excellentiam hujus exercitii, quia ipse Dei Filius eo voluit uti; ex alia verò parte illius facilitatem, quia ad illius usum nullâ opus est violentiâ aut capitis contentione, sed sufficit habere propositum ex omnibus faciendi fructum, quo concepto, corde esse debemus suaviter recollecto. Deindeque in earum rerum, quæ occurrerint, occasione formare debemus devotum aliquem conceptum, simplicem, non distortum, suavem non violentum, affecti-

*Quomodo
fit eleva-
tio cordis*

affectivum non curiosum, facilem ac quasi naturalium non à longè petiturum. Conceptus hinc simplex, suavis ac devotus tandem argumentum erit elevationis cordis. Atque ista est tota methodus, quam in hac sancta Philosophia tenere debemus.

per considerationem creaturarum.

Diximus primò, conceptus ex creaturarum occursum formandos esse debere *simplices*, non distortos; alioquin enim insipidi forent ac sine fructu. Atque iste defectus est quorundam qui animum intendunt, nescio quibus sublimissimis speculationibus sine ratione ac fundamento conceptis, qui quidem defectus cavendus plurimum erit: Hoc enim non est hac Philosophia uti sicut oportet.

Conceptus debent esse simplices ac naturales.

Non potest autem esse difficile formare conceptus simplices ac naturales, quia cum nihil in mundo sit, quod non vel ad Deum referatur vel ei opponatur, nihil est facilius, quam animum nostrum simpliciter in Deum inclinare, ubi ea occurrunt, quæ ad Deum referuntur; vel concipere horrorem eorum, quæ nos ab ipso avocant, in contuitu eorum quæ ei opponuntur. Exemplum ejus quod ad ipsum refertur, accipe:

Quomodo facile queamus formare considerationes spirituales circa quamcumque rem.

S. Ignatius Loyola cum nocte quadam illustriore cælum plenè stellatum conspiceretur: ait: *Quàm sordet mihi tellus, cum cælum aspicio.*

Primum exemplum.

Exemplum ecce aliud illius, quod Deo adverbatur.

In vitis Patrum refertur, Abbati Pambo- ni aliquando cum aliis Religiosis civitatem versus iter instituenti occurrisset curiosius

Secundum exemplum.

EXOR.

ione

adornatam levioris notæ mulierem. Illâ visâ sanctus Abbas plorare cæpit, qui cur ploraret à Fratribus interrogatus respondit : duo esse, quæ lacrymas ei cierent. Primum esse fœminæ istius perditionem, alterum suam et negligentiam, quia, inquebat, tam sollicitè exornare animam meam virtutibus, ut placeat Deo, non contendo, quàm ista fœmina connititur exornare corpus suum, ut hominibus placeat. Ex istis duobus exemplis videri potest, quâ ratione quibusvis in occasionibus formare quis possit conceptus simplices, faciles & absque ullo prorsus artificio.

*Vitanda
conatio.*

Diximus secundò, illos esse debere *suaves, non violentos*, neq; procul petitos. Ferè enim nunquam velle debemus objecta ista querere extra nos, ut illorum beneficio ad Deum attrahamur, hoc enim nimium esset in varia distrahi atq; extroverti potius, quàm internâ fovere recollectionem. Verùm satis est internam retinere dispositionem ad recipiendam instructionem atq; inspirationem Spiritus sancti ad sanctè circa illa, quæ nobis sponte suâ occurrunt, philosophandum. Quod si post maturam ac suavem animi applicationem nulla nobis oboritur cogitatio, nullatenus violentiam nobis inferre debemus, ut aliquam volentes nolentes concipiamus. Sed satis erit, si Dei haud immemores circa aliud quodpiam aspirationem aliquam ad ipsum eliciamus.

*Vitanda
curiositas.*

Diximus tertio, conceptus hujusmodi esse debere *affectivos non curiosos*. Id enim discriminis hanc inter Philosophiam divinam atque illam humanam intercedit : quod hæc

sc-

scopum alium non habet, quàm notitiam rerum, proindeque semper sit plena curiositatis; at illa, qua de agimus, non aliò collimat, quàm ut cor sancto quodam affectu permoveat. Ea propter satis ei quandoque est notitia objecti sui generalior, quin ad minuta descendat ac particularia, quia illa satis est animo in Deum inclinando. Exempli gratia intuendo pulchrum aliquem florem vel cœli arcum, animus non insistit distinguendis coloribus aliisve circumstantiis, quibus res istæ exornantur; sed satis ei est videre objectum hoc esse pulchrum: atque etiam esse opus Dei, pro quo ipse mereatur laudari atque amari.

Praxis istius exercitii.

Verùm enim verò ut omnia prædicta in praxin redigamus, supposito cor esse inflammatum desiderio Dei (sine hoc enim quidquid dicturi sumus, fructus omnis expers erit) ubi quis viderit cœlum tam pulchrum adeoque exornatum, potentiam admirabitur Creatoris: aut certè considerabit ipsum esse æternæ felicitatis nostræ locum, quò proinde affectuosè suspirabit.

2. Considerando motum illius adeò ordinatum atque uniformem, cursum solis, tempestatum variationem, atque uno verbo cunctarum creaturarum egregium illum ordinem dicere poteris:

Domine Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. Psal. 8. 2.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum; Lunam & stellæ que in fundasti. ibidem v. 4.

Quia

91. 5. Quia delectasti me, Domine, in factura tua,
& in operibus manuum tuarum exultabo.

103. 24. Quàm magnificata sunt opera tua, Domine: omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tuâ.

148. 6. Statuit ea in æternum & in seculum sæculi: præceptum posuit & non præteribit.

65. 3. Dicite Deo: quàm terribilia sunt operata tua, Domine.

144. 4. Generatio & generatio laudabit opera tua: potentiam tuam pronuntiabunt.

Job. 9. 7. Præcepit Soli & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.

Pf. 146. 4. Qui numerat multitudinem stellarum; & omnibus eis nomina vocat.

Baruch. 3. 35. Vocata sunt & dixerunt: adsumpto & inxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.

3. Videndo vastam illum oceani magnitudinem, cogitabis illum, qui ipsum fecit, longè esse majorem, ac dicere poteris:

Pf. 92. 4. Mirabilis in altis Dominus.

Pf. 94. 5. Ipsius est mare & ipse fecit illud.

103. 25. Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus.

4. Videndo arenam in litore maris, dices: Eccli. 1. 2. Arenam maris quis dinumeravit? Tu es, Domine, qui numerum illius nosti, at laus illa, quam tu mereris, mille milenis vicibus hunc numerum arenæ excedit.

5. Audiendo tonitrua, dices:

Pf. 76. 19. Illuxerunt coruscationes tua orbi terræ.

Isa. 10. 7. Quis non timebit te, ô Rex gentium?

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Ps. 75. 8.

Quis novit potestatem irae tuae: & praetimore tuo iram tuam dinumerare? 89. 11. 12.

6. Videndo pluviam, grandinem, nivem, gelu atque alias tempestatum varietates, dices:
Hac omnia faciunt verbum ejus.

Hac enim ratione cunctae insensibiles creaturae obediunt Deo: cur igitur creatura rationalis in omnibus & per omnia voluntatem quoque ipsius non perficiat?

7. Audiendo avicularum cantillationes excitabis te ipsum ad cantandas in corde tuo communis Creatoris nostri laudes. Neque hoc immortalitati oculorum tribuendum existimabis, si considerandis earum elegantissimis plumis intendas, ut Deum inde benedicas.

8. Videndo indefessum laborem formicae, pulchrioremque Politiam Reipublicae apum, sapientiam admirabere Creatoris, qui tam egregiis proprietatibus animalcula illa insignivit.

9. Mediocres considerando bestiolas nutrimento suo conquirendo intentas, elevabis mentem ad recognoscendum ineffabilem providentiam Dei, ne unam quidem ex ipsis deserentis, quin ei prospiciat, dicereque poteris cum Psalmographo.

Oculi omnium in te sperant, Domine: & Ps. 144. 17
tu das escam illorum in tempore opportuno. 16.

Aperisti manum tuam: & implet omne animal benedictione.

ione

10. Videndo rivulum per rupes, nemora ac valles decurrentem, ut in mare delabatur, dices: Eâ quoque ratione committi deberem, ego, ut in Deum meum, ex quo originem duxi, refluxam ac relabar, quin ulla creatura cohibere me possit.

11. Videndo gnomonem nauticum magne te perlitum indefinenter ad septentrionem suum se convertentem, quin alibi conquiescat, dices: Hac ratione cor semel à Deo contractum sine intermissione ad ipsum suspirat, vehementerque aspirat, neque, nisi in illo, requiem invenit: *Fecisti nos ad te*, inquit S. Augustinus, *Domine, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

12. Sentiendo satisfactionem aliquam ac naturalem voluptatem, ex eo quod te calefacias, ubi frigueris; bibas ubi sitieris, cibo aliquo vescaris deliciarioribus, aut in simili aliqua occasione, voluptatem quantum poteris abdicando, gratias reddas Deo, quod nobis de cunctis necessitatibus nostris tam abundanter prospiciat, etsi voluntariam ob illius amorem elegerimus paupertatem.

13. Videndo mundanos homines in promovendis negotiis suis temporalibus tam arduos, dices: *Luc. 16. 3. Prudentiores sunt filii huius seculi filiis lucis in generatione sua.*

14. Audiendo laudari aliquem ob suam magnitudinem, aut bona fortunæ, dices: *Ps. 143. 15. Beati dixerunt populum, cui hæc sunt: Beatus populus, cuius Dominus Deus ejus.*

15. Videndo milites, dices: Homines isti pro nescio quo temporaneo lucro morti se

expo-

exponunt, & ego quàm parùm facio pro
Deo meo?

16. Videndo aliquem ob jacturam aliquam
temporalem afflictum, dices: "Parùm est
cuncta visibilia amittere; at maxima jactura
est peccato Deum ac cælum amittere.

17. Audiendo discursus de scientia aliqua
curiosiore, dices: "Heu! Domine, si tanta
cum voluptate potentias nostras tui cogni-
tioni atque amori impenderemus.

18. Videndo mendicum aliquem ulceribus
plenum, membris mutilum, aut aliã quavis ca-
lamitate affectum, oculos ab eo minimè diver-
tes, sed, ubi illum tenerã cum compassione in-
tuitus fueris Deo gratias ages, dicendo: "Gra-
tias tibi ago, Domine, quod omnium mihi
usum membrorum meorum concesseris:
Nunquid & me huic similem efficere po-
tuisses, si voluisses.

19. Audiendo recitationem vitiorum ali-
cujus, aut videndo etiam ipsum peccatum ali-
quod admittentem, magnam inde tristitiam ob
Deum offensum concipere satages, ac Deum
pro conversione ipsius orabis.

20. Videndo denique mirabiles avium a-
liorumve animalium proprietates ac naturales
industrias conservandæ vitæ suæ, nutrimenta
sua congregandi, atque illis vescendi, evadendi
pericula, à morte se præservandi, dices cum S.

Bernardo: *Pudet hoc, rationem non posse
in homine, quod natura potest
in volucre.*